Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476328-p0001-8

(a)

genauer prüfen

f

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476328-p0002-4

Mai 703.
25

PORTENTUM DUPLEX

I.

FŒDERIS

Gallos inter & Bavaros

nuper initi.

II.

NEUTRALITATIS

In Religione defendenda

paſſim obviæ,

ACTUS ORATORIO-VALEDICTORIUS

in

LYCEO TORGENSI

d. 3. Maji 1703.

Horâ VIII. antemerid.

repræſentabit,

Ad qvem condecorandum

MÆCENATES, PATRONI, COLLEGÆ AC FAUTORES

officioſiſſime eaqve, qva par eſt, humanitate invitantur

à

M. GODOFREDO STEINBRECHERO,
Rectore.

TORGÆ,
Typis JOANN. ZACHAR. HEMPI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476328-p0003-9

FUrente horribili per mare imperioſum tempeſtate, ventis in pugnam concitatis hinc decertantibus, debacchantibus illinc ecnephiis, &, cœlo undarum molibus qvaſi miſto, mortem nulli non præſentiſſimam minitantibus: attoniti nautæ ſcyllam inter & charybdim jactati trepidant, deqve naufragio declinando ſolliciti, per foros, per tranſtra curſitant alii, alii in genua provoluti Numen divinum in auxilium vocant, alii mercibus navem exonerant, vela alii explicant aut contrahunt, ancoram jaciunt alii, pleriqve portum reſpicientes, navi ad litus appellendæ ſtudent anxie. Incendio orto horribili, omnes, qvi ſapiunt, concurrunt, remqve ſuam, Proximi pariete ardente, agi recte rati, malo imminenti, vires ne majores ſumat, mature medentur. Belli facies qvid aliud eſt, niſi naufragium, niſi incendium, terrorem, horrorem omnibus incutiens, ultimamqve perniciem minitans. Qvocirca, conſurgente nube trucis & cruenti belli, tonante ac fulminante armorum procella, magno cruoris imbre omnia fœdatura; recte Reges, Principes, civesqve velut ad commune extingvendum incendium concurrunt, fœdera contra hoſtium vim ineunt, hanc rabiem, niſi mature ei maſculeqve occurratur, ſine finitimorum ruina finiri haut poſſe optime gnari. Cognito, qvod illatum à Cyro bellum Crœſo eſſet, ex univerſa Græcia, auxilia communem periculi tempeſtatem propulſatura, confluebant: confluebant omnia Græciæ regna, qvum Athenienſium Dux Alcibiades damnatus dirisqve per omnium Sacerdotum religiones devotus, Regem Lacedæmoniorum ad bellum Athenienſibus, adverſo Siciliæ prælio turbatis inferendum impuliſſet: concurrebant Thebani, cauſæqve Athenienſium, bello Regis Philippi vexatorum, ſeſe jungebant: ne, victis Athenienſibus, veluti vicinum belli incendium ad ſe tranſiret. Qvamobrem ſicut hoſtis communis communibus viribus ſummovendus eſt, ita ſi qværatur: Fœdera contra hoſtem pangere num liceat, nec ne, ajens nobis ſententia meritò probatur. Qvod ſi enim omni animantium generi à natura tributum eſt, ut ſe, vitam corpusqve tueatur, declinetqve ea, qvæ nocitura videntur, effato Tullii L. I. Off. Patres certe patriæ, Hannibale atrociaminante, vel ad portas jamjam excubante, vis ut vi repellatur, recte dant operam, cumqve hoſtium viribus ſe minus pares eſſe videantur, ab aliis petunt auxilia, cum aliis feriunt fœdera, tantæ hæc neceſſitatis eſſe, qvantæ uſus eſusqve ſalis ac panis eſt, arbitrati, hinc ſalem ac panem fœderis olim ſymbola fuiſſe teſtantur antiqvitatum monumenta. Græci nec non Romani in ſanciendo fœdere ſolennes ſacrificii ritus inſtituebant, mactando porcam fœtam, unde phraſin didicimus natam: fœdus *ferire*, *icere*, *percutere*, qvem morem ſane antiqviſſimum non Ethnicis tantum, ſed Judæis etiam ſolennem fuiſſe teſtes ſunt literæ & ſacræ & profanæ. Primo in ſanciendis fœderibus cædebant victimas, deinde per partes & ſegmenta cæſi jumenti vel beſtiæ tranſibant, ſicut Deus ipſe, pacto cum Abrahamo de poſſeſſione terræ Canaan fœdere, per partes cæſæ victimæ in ſpecie igneæ lampadis tranſiſſe legitur. *Gen. XV, 17.* Romani fœdus cum Albanis percuſſum, verbis ac literis firmabant, qvo facto porcam in duas diſſecabant partes, per qvas ab utroqve latere poſitas, paciſcen

ciſcentes tranſibant, imprecantes ſibi invicem ejusmodi diſſectionem, ſi primi fœdus frangerent. Macedones exercitum ſuum, poſtqvam luſtratus & ſacramenti religione obſtrictus erat, armatum per duas partes diſſectæ canis, *teſte Livio Lib. XII.* traducebant, &, referente Homero, pileos inſuper & coria beſtiarum invicem partiebantur. Notari legiqve merentur verba Livii *L. I. Decade 24. p. 50. Editio. J. F. Gronovii*, ita ſcribentis: Fecialis (*hic princeps erat ex Fecialibus, nempe ex fœderum pacis, belli ac induciarum cuſtodibus, à Numa inſtitutis, qvi ſicut alioqvin Oratores vocabantur, ita* à faciendo Feciales, *teſte Sexto Pompejo, dicti: qvoniam penes illos belli pacisqve* faciendæ *poteſtas erat, qvorum Præſes ac Legatus ideo* Pater patratus *appellabatur; qvod fœderis* patrandi *h. e. ſanciendi* jus habebat) regem Tullum ita rogavit: *Jubesne me, Rex, cum patre patrato populi Albani fœdus inire?* jubente Rege, *Sagmina*, inqvit, *te, Rex, poſco.* Rex ait, *Puram tollito.* Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit, poſtea regem ita rogavit: *Rex, faciſne me tu regium nuncium populi Romani Qviritium, vaſa, comitesqve meos?* Rex reſpondit: *Qvod ſine fraude mea populiqve Romani Qviritium fiat, facio.* Fecialis erat M. Valerius, patrem patratum Sp. Fuſium fecit, verbena caput capillosqve tangens. Pater patratus ad jusjurandum patrandum, id eſt, ſanciendum fit fœdus, multisqve id verbis, qvæ longo effata carmine non operæ eſt referre, peragit. Legibus deinde recitatis; *Audi*, inqvit, *Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima poſtrema, ex illis tabulis cerave recitata ſunt, ſine dolo malo, utiqve ea hic hodie rectiſſime intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior deficit publico conſilio, dolo malo; tu illo die Jupiter populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam: tantoqve magis ferito, qvanto magis potes pollesqve.* Id ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit &c. Hæc Livius l. c. Tanta fœderis fracti imprecatio ac vindicta erat! Qvin imo Deus ipſe fœdifragos ita alloqvitur: *Tradam viros transgreſſos fœdus meum, qvoniam non ſervarunt verba fœderis, qvod ferierunt coram me qvà vitulum, qvem conciderunt in duas partes, ut tranſirent inter partes ejus, nempe Principes, Eunuchos & Sacerdotes, tranſeuntes inter partes vituli, tradam in manus hoſtium & in manum qværentium animas eorum, ut ſit cadaver in cibum avi cœlorum & beſtiæ terræ*, (Jerem. Cap. XXXIV. v. 18. 18. 20.) hoc eſt: qvemadmodum victima fœderis diſſecabatur in duas partes, ita fœdifragos gladio diſſecandos & in orbem diſpergendos eſſe, interprete B. Hülſemanno, cui ſuffragantur R. Salomon, D. Kimchi, Maldonatus, Sanctius, qvorum explicationes repetere paginæ prohibet anguſtia, nec tamen probanda ridicula illa Cabbaliſtarum חומורין סעלם qvæ ex mente Rabbi Salomonis Judæis, qvippe cum ave, qvam Abrahamus ideo in partes non diſſecuerit, comparandis, perennitatem; Gentibus vero (qvorum ſub nomine Chriſtianam fidem profeſſos ac proinde juvencis, arietibus ac hircis componendos, maxime intelligunt) diſſectionem partium, extirpationem ſcilicet ac interitum præſagiant. Scythæ mutuo ſangvine hauſto, pangere ſolebant fœdera. Armenii dextris manibus ſangvinem miſſum invicem ſorbere. Sangvinem è ſectis frontibus manantibus poculisqve miſtum bibebant Germani priſci, eo ipſo teſtaturi, paratos ſe eſſe ſangvinem pro ſe invicem non profundere ſolum, ſed eam etiam partem, qvæ prima fœdus frangat, digniſſimam eſſe, cujus ſangvis ab hoſtibus velut victima ſacra profundatur crudeliſſime, turpiſſime. Reges hodie principesqve fœdus ineuntes, vel dextra data fidei ſervandæ adſtipulantur, vel jurejurando ſe obſtringunt, qvi etiam Ethnicis olim mos fuiſſe legitur. Nam Polybius, de Fœdere inter Carthaginenſes & Romanos ſancito, dum loqvitur, juraſſe Jovem lapidem ac per Martem & Enyalium, ita: Fecialis, ſumto in manus lapide, poſtqvam de fœdere inter partes convenerat, hæc verba dixit: *Si recte ac ſine dolo malo hoc fœdus atqve hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præſtent; Si aliter aut ago, aut cogito, ceteris omnibus ſalvis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis Laribus, in propriis templis, in propriis ſepulcris, ſolus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidet.* Nec plura locutus, manu lapidem dejiciebat, vel, ut refert Feſtus, *ſi ſciens*, ajebat, *fallo, tunc me Dieſpiter ſalva urbe arceqve, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.*

Qvem-

Qvemadmodum itaqve tantam tamqve ſacram pacti pangendiqve fœderis reverentiam eſſe ac neceſſitatem, recte rata eſt antiqvitas; nec minus experientia, veri magiſtra haut fallax, docet, fœdifragos divinitus punitos acerrime eſſe, eos inprimis, qvi vel Deo id, qvod in ſacro fonte iniêre, fœdus non ſervant ſolvuntqve, vel in re ſacra ac vera religione profitenda, defendenda, neutri parti adhærent, muti magis, qvam piſces: ita utiliſſimam hanc materiam perſeqvi juſſimus ſeqventes Academiæ Candidatos digniſſimos, qvorum ex numero

I. CAROLUS CHRIST. BEUTNIZIUS, Prioraviâ-Saxo, Nomine Legati Gallici ſvadet Electori Bavarico Fœdus cum Gallis ineundem.

II. JOANN. CHRIST. GERLINGIUS, Salzfurtenſ. Saxo, idem eidem diſſvadet nomine Conſiliarii Bavari.

III. JOANNES JÆNICHIUS, Fürſtenbergâ-Luſatus, perſonam agit populi Bavarici, qvi ſupplex ab Electore petit, ut NEUTRAM bellantium partem ſecutus, patriam tuto qvieſcere patiatur.

IV. JOACH. CHRISTIAN. HANNEMANNUS, Tesko-Mecklenburg. invehitur in eos, qvi in Religione rebusqve ſacris tuendis, NEUTRALITATI, vulgo qvam vocant, ſtudentes, in utramqve partem claudicant, neqve calidi, neqve frigidi.

In re forenſi aliisqve id facientes taxat

V. JOANNES ADAMUS CALO, Belgrâ Miſnicus, qvi & Actui colophonem impoſiturus, perſolvit Patronis qvæ debentur, qvæ Præceptoribus, qvæ Evergetis aliis.

VI. ABRAHAMUS KÆSTNERUS, Bärnſteina-Miſnicus, veſtigiis anteceſſoris inſiſtens, perſeqvitur eandem rem carminice.

En, Mæcenates, Patroni ac Amici, materiam non paſſim obviam, qvæ ſicut eam ob rem auditu eo jucundior erit, & expromta memoria juſtaqve brevitate repræſentabitur, ita, qvin Vos denuo à Nobis officioſiſſime invitati rogatiq; Actum hunc Oratorium honorifica veſtra freqventiqve Præſentia ſitis condecoraturi, nulli dubitamus, id gratiæ ac favoris, qvavis data occaſione, compenſaturi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476328-p0006-6

78 M 437

ULB Halle 3
001 515 276

TA → OL
kein Rest.

nur 51. Stck verknüpft bisher

W 917

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476328-p0007-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476328-p0008-7

PORTENTUM DUPLEX

I.

FŒDERIS

Gallos inter & Bavaros

nuper initi.

II.

...LITATIS

... defendenda

... obviæ,

...-VALEDICTORIUS

...ORGENSI

... 1703.

... VIII. antemerid.

...tabit,

...ecorandum

...ONI, COLLEGÆ AC

...ORES

... par eſt, humanitate

...ur

... STEINBRECHERO,

...c.

...Æ,

...HAR. HEMPI.